



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Raymvndvs Conf. 7. Ianuarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. RAYMVNDVS CONF.

7. Ianuarij.

RAYMVNDVS nobili loco in Hispaniâ natus, cum lacte MARIAM imbibit. Ea deinde pietas cum puero crevit. Nam & in mundo adhuc cum ageret, sumptus non exiguos fecit, quo festus VIRGINIS ab Angelo Salutatae dies augustius ageretur, & postea in D. Dominici familiam cooptatus, ipsius DIVÆ monitu novæ societatis auctor fuit condendæ, quæ vindicandis in libertatem vinculis sese impenderet. Angelo, qui ei à puero datus est peculiaris, tam est usus familiariter, ut non raro ad statas ab eo preces excitaretur. Ceterum cum pro eâ, quâ erat, Christianâ libertate, in non licitos Iacobi Aragonum regis amores gravius nequicquam invecus esset, & ex nautis regio edicto absterritis recipere eum jam nemo in navim suam vellet; novus nauta nova vela mari suspendit pallium suum, aspirante cælesti aurâ sex intra horas milliaria emensus c. l. x. & Barcinonem appulsus, in cœnobiū ad suos per occlusam portam ingressus est. Ibi cum è sociis unus aliquis gravibus tentationum fluctibus jactaretur, ubi primum in manu litantis RAYMVNDI propitium illud sidus est intuitus, continuo suam menti redi malaciam sensit. Argonauta verò noster portum cælestem tenuit anno. M. CC. LXXV. *Ex vitâ apud Bzov*

Si nobis non est satis ad salutem, quòd virtuosè vivamus, sed oportet aliorum salutem re ipsâ desiderare; cum neque nos rectè vivamus, neque alios hortemur, quid respondebimus; quæ nobis spes salutis reliqua erit? S. Chrysost. 60. in Matth.

S. LAV.